



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XIX. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt eine Disposition des Kalandes in Burg wegen der Dotation und Besetzung des Altares St. Dionysii, am 9. März 1334.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

berg gebuwet und bewedemit in der Hiligen Merterer Ehre Sente Georius unde Sente Erhardus, in gotaner Wyfs, wenne Sie den Altar lyhen, daz sie den fallen bevelin, daz ehr Vns unde Vnser Kindere unde auch vnser Nakommeliche in seiner Mese unde in sine Gbeth ewichligk gedencket. Czu Orkunde diesser bescreben Sache sind gezügen Her Erhard von der Dhame, Her Herman von Weznick, Andreas von Globig, Herman Gerticz, Bertram von Refeldt, Johannes von der Czanne, Vnser Obriste Schreiber, und Otto von Czuzow, Vnser Schreiber, unde ander viel bederber Lüte, die darobir gewefin sin. Daz daz gancz unde stete blibe und ungebrochen von Vnfern Vettern unde von andern Vnfern Fründen, des haben Wir diefn Brief bevest mit Vnfern angehangeden Ingefignil czu eyner Uffenbar Bekenntniffe. Der geben ist czu Wittemberg, Nach Gotis Gebort, Thufend Jar, dreyhundirt in dem Ein und dreyfsigftin Jare, in der Hiligen Merteren Tage Sente Primus und Felicianus.

Schöttgen und Kreysig, *Diplomataria et Scriptorum Historiae Germanicae* III, 410.

XIX. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt eine Disposition des Kalands in Burg wegen der Dotation und Besetzung des Altars St. Dionysii, am 9. März 1334.

In nomine domini Amen. Quoniam omnium habere memoriam potius est diuinitatis quam humanitatis, Ne ergo ea que coram nobis aguntur obliuioni tradantur, consueuimus scripture memoria perhennari. Notam igitur esse volumus uniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris, Quod nos Confratres kalendarum in Borch ob Reuerenciam dej. et exaltacionem catholice fidej et Animarum nostrarum Salutem dotauius Altare Sancti Dyonisij, situm in Ecclesia Sancti Nicolai in Borch, ad celebrandam in eo cottidie missam nostram ac predecessorum nostrarum memoriam perpetue peragendam, Afsignantes nichilominus dicto altari pecuniam et bona simul Quinquaginta Marcas argenti valencia, que uidelicet bona in meliorem usum dicti altaris sunt vertenda. Predictum vero altare cum voluntate beniuola et vnanimi consensu domini Mathie plebani in Borch et fuorum Concanonicorum condotauius concorditer in hunc modum: Quicumque ipso altari vacante plebanus in Borch fuerit, sepredictum altare illj, qui memorato plebano per decanum predictorum confratrum presentatus fuerit, absque vlla contradictione conferet, Dummodo talis presentatus sit vnus de nostris Confratribus supradictis et eciam ydoneus sit et honestus, quia sepredictum altare extra communitatem nostram nullj statuimus conferendum. Missa vero dicti altaris infra summam missam frequencius est dicenda, si vero plebanus Ecclesie ratione funeris presentis forfitan vnus missa indigenciam habuerit, presbiter sepredicti altaris cum sua missa plebano debet beniuole suffragari. Oblaciones vero, si que ad altare vel ad manus sacerdotis predicti delate fuerint, plebano sine diminutione qualibet presententur. Et nos Lodewicus, dej. gracia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, diuinum cultum promouere et augmentare volentes et pium deo obsequium in omnibus semper inpendere, ut christus amplius in suis glorificetur operibus, et deuoti homines, qui ad altare predictum elemofinas suas largiti fuerint, salutem aminarum suarum et veniam celerius consequantur, dictam dotis assignacionem ratam habuimus et eam approbauimus noftrique Sigilli firmauimus munimento, Iniungentes omnibus christi fidelibus in remissionem peccatorum fuorum, ne

deinceps quisquam bona dicto altari assignata et dotata contra iusticiam aliquatenus molestare presumat. Si quis vero predicta bona molestare aut inpugnare temere presumpserit, indignacionem omnipotentis dei atque nostram se noverit grauiter incursum. Actum et datum Brandenburg anno domini MCCCXXXIII^o, feria quarta post dominicam letare ierusalem.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 74.

XX. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt eine Disposition des Kalands zu Burg wegen der Dotation und Besetzung des Altars St. Mariä, am 8. September 1334.

In Nomine domini Amen. Ne actiones hominum viles et honestas temporum mutabilitas aboleat, consuevit ipsas prudentum virorum prouidencia scriptis autenticis roborare. Notum igitur esse volumus vniuersis christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, Quod nos Confratres kalendarum in Borch, ob Reuerenciam dei et exaltacionem catholice fidei et animarum nostrarum salutem, dotauimus altare beate Marie virginis, situm in Ecclesia Sancti Nicolai in Borch, ad celebrandam in eo cottidie missam nostram ac benefactorum nostrorum memoriam perpetue peragendam, Assignantes nichilominus dicto altari tres Choros dari frumenti, siliginis videlicet et Ordei, in villa Recel sitos, cum omni dominio, Jure et proprietate nec non agros sex iugerum prope muros Ciuitatis Borch sitos, quos quidem agros cum dictis tribus Choris Annone statuimus immutabiliter permanere. Predictum vero altare cum voluntate beniuola et vnamini consensu domini Mathie Plebani in Borch et suorum Concanonicorum condotauimus concorditer in hunc modum. Quicumque dicto altari vacante plebanus in Borch fuerit, sepedictum altare illi, qui memorato plebano per decanum predictorum Confratrum presentatus fuerit, absque ulla contradictione conferet, dummodo talis presentatus sit vnus de nostris Confratribus et ydonens sit et honestus, Quia sepedictum altare extra communitatem nostram nulli penitus statuimus conferendum. Missa vero dicti altaris infra matutinas decantabitur vel dicetur; si vero plebanus Ecclesie ratione funeris presentis forsit vnus missę indigenciam habuerit, presbiter dicti altaris cum sua missa plebano debet beniuole suffragari. Oblaciones vero, si que ad altare vel ad manus sacerdotis predicti delate fuerint, plebano sine diminucione qualibet presententur. Nos vero Lodewicus, dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, diuinum cultum augmentare volentes et pium deo obsequium in omnibus semper impendere, vt christus amplius in suis glorificetur operibus et deuoti homines, qui ad altare predictum elemosinas suas largiti fuerint, salutem animarum suarum et veniam celerius consequantur, dictam dotis assignacionem ratam duximus et eam approbauimus nostrique sigilli firmauimus munimento, iungentes omnibus christi fidelibus in remissionem peccatorum suorum, ne deinceps quisquam bona dicto altari assignata et dotata contra iusticiam aliquatenus molestare presumat. Si quis vero predicta bona inpugnare aut molestare temere presumpserit, indignacionem omnipotentis dei atque nostram se noverit grauiter incursum. Et ego mathias, plebanus in Borch, lucide recognosco, predicta omnia et singula cum voluntate mea placitasse et ordinasse et ordinacioni beniuole consensisse, quod protestor sigillo proprio presentibus appenso. Actum et datum Brandenburg, Anno domini MCCCXXXIII^o, in die Natiuitatis Marie virginis gloriose.

Nach dem Originale des Stadtarchives zu Burg Nr. 10.